UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvae Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiæ, MDLXXXIX

Liber XV.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-496

Visual Library

C. CORNELII TACITI
AB EXCESSV DIVI AVGVSTI
ANNALIVM LIB. XV.

BREVIARIVM LIBRI.

VOlogeſes Parthorum rex Armeniam inuadit, quem Corbulo cautè & tamen fortiter repreſſit. Sed Cæſonius Pætus miſſu Neronis mox ſuperuênit, proprius Armeniæ tuendæ dux. Is imperitiâ & temeritate rem perdidit: turpi fœdere cum hoſte depactus. Corbulo ei tamen ſed ſerò ſuccurrit. Neroni filia ex Poppæâ naſcitur, non vitalis. Legati Parthorum Romam venêre, ſuper Armeniâ retinendâ irriti remittuntur: & bellum Corbuloni permiſſum. Is Armeniam iterum inuadit, & metu Parthis iniecto, ad colloquium ventum. Placuit arma poni, & Tiridatem diadema ſtatuæ Neronis ſubmittere, nec niſi ſponte eius reſumere. Nero Neapoli cantat in publico: Romæ luxu & libidine omnia polluit. Ipſa vrbs ardet caſu, ſiue Principis dolo, qui in ruinis eius ingentem ſibi domum exſtruxit. Chriſtiani ab eo exagitati & necati, falſo crimine incendij. Coniuratio in Neronem inita & detecta, capite eius C. Piſone. Multi interfecti inluſtrium, interq; eos Seneca. Grates tamen diis actæ, & dona decreta templis, vt rebus lætis. Geſta hæc annis paullò amplius tribus.

C. MEMMIO REGVLO. VERGINIO RVFO
C. LECANIO BASSO. M. LICINIO CRASSO Coss.
P. SILIO NERVA. C. IVLIO ATTICO VESTINO

Vologeſes deliberat de repetendâ Armeniâ.

INTEREA rex Parthorum Vologeſes, cognitis Corbulonis rebus, regemque alienigenam Tigranem Armeniæ impoſitum: ſimul, fratre Tiridate pulſo, ſpretum Arſacidarum faſtigium ire vltum volens, magnitudine rurſum Romanâ & continui fœderis reuerentiâ, diuerſas ad curas trahebatur: contator ingenio, & defectione Hyrcanorum gentis validæ, multiſque ex eo bellis illigatus. Atque illum ambiguum nouus inſuper nun-

Impulit ambiguum iniuria Tigranis,

tius contumeliæ exſtimulat: quippe egreſſus Armeniâ Tigranes, Adiabenos conterminam nationem latiùs ac diutiùs quàm per latrocinia vaſtauerat. Id-

Fines Parthorum populantis.

que primores gentium ægrè tolerabant, eò contemtionis deſcenſum, vt ne

Monobazus etiam exſtimulat.

duce quidem Romano incurſarentur, ſed temeritate obſidis, tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen, quod præſidium, aut vnde peteret, rogitans. Iam de Armeniâ conceſſum, proxima trahi: & niſi defendant Parthi, le-

Et Tiridates.

uius ſeruitium apud Romanos deditis, quàm captis eſſe. Tiridates quoque regni profugus, per ſilentium haut modicè querendo, grauior erat. NON *enim ignauiâ, magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. Id in ſummâ fortunâ æquius, quod validius. Et ſuâ retinere, priuatæ domus: de alienis certare, regiam laudem eſſe.* Igitur commotus his Vologeſes concilium vo-

Pernicêre. & oratione ſenſa ſua Vologeſes aperit.

cat, & proximum ſibi Tiridatem conſtituit, atque ita orditur, *Hunc ego eodem mecum patre genitum, cùm mihi per ætatem ſummo nomine conceſſiſſet, in poſſeſſionem Armeniæ deduxi, qui tertius potentiæ gradus habetur. Nam Medos Pacorus anteceperat. videbarque contra vetera fratrum odia & certamina, familiæ noſtræ penates ritè compoſuiſſe. prohibent Romani, & pacem ipſis numquam proſperè laceſſitam, nunc quoque in exitium ſuum abrumpunt. Non ibo infitias, æquitate quàm ſanguine, cauſſâ quàm armis retinere parta maioribus malueram. ſi contatione deliqui, virtute corrigam. Veſtra quidem vis & gloria in integro eſt, additâ modeſtiæ famâ. quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à diis æſtimatur.* Simul diademate caput Tiridatis euinxit, promtam equitum manum, quæ

Diadema Armeniæ Tiridati imponit.

regem ex more ſectabatur, Moneſi nobili viro tradidit, adiectis Adiabenorum

rum auxiliis: mandauitque Tigranem Armeniâ exturbari, dum ipse positis aduersus Hyrcanos discordiis, vires intimas, molemque belli ciet, prouinciis Romanis minitans. Quæ vbi Corbuloni certis nuntiis audita sunt: legiones duas cum Verulano Seuero, & Vectio Bolano, subsidium Tigrani mittit, occulto præcepto, compositiùs cuncta, quàm festinantiùs agerent. quippe bellum habere, quàm gerere malebat. Scripseratque Cæsari, proprio duce opus esse, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologese acriore in discrimine esse. Atque interim reliquas legiones pro ripâ Euphratis locat: tumultuariam prouincialium manum armat: hostiles ingressus præsidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio est, castella fontibus imposita. quosdam riuos congestu arenæ abdidit. Ea dum à Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine Moneses vt famam sui præiret, non ideo nescium aut incautum Tigranem offendit: qui occupauerat Tigranocerta, vrbem copiâ defensorum & magnitudine mœnium validam. Ad hæc Nicephorius amnis haut spernendâ latitudine partem murorũ ambit. & ducta ingens fossa, quà fluuio diffidebatur. Inerant milites, & prouisi antè commeatus. quorum subuectu pauci auidiùs progressi, & repentinis hostibus circumuenti, irâ magis quàm metu ceteros accenderant. Sed Partho ad exsequendas obsidiones nulla cominus audacia: raris sagittis, neque clausos exterret, & semet frustratur. Adiabeni cùm promouere scalas & machinamenta inciperent, facilè detrusi, mox erumpentibus nostris cæduntur. Corbulo tamen quamuis secundis rebus suis, moderandum fortunæ ratus, misit ad Vologesem, qui expostularent vim prouinciæ illatam. socium amicumque regem cohortes Romanas circumsidere. omitteret potius obsidionem, aut se quoque in agro hostili castra positurum. Casperius centurio in eam legationem dilectus, apud opidum Nisibin septem & triginta milibus passuum à Tigranocertâ distantem adit regem, & mandata ferociter edidit. Vologesi vetus, & penitus infixum erat, arma Romana vitandi: nec præsentia prosperè fluebant. irritum obsidium, tutus manu & copiis Tigranes, fugati qui expugnationem sumserant, missæ in Armeniam legiones, & aliæ pro Syriâ paratæ vltrò irrumpere. sibi imbecillum equitem pabuli inopiâ. nam exorta vis locustarum abederat quidquid herbidum aut frondosum. Igitur metu abstruso mitiora obtendens, missurum ad Imperatorem Romanũ legatos super petendâ Armeniâ & firmandâ pace respondet. Monesen omittere Tigranocertà iubet, ipse retrò concedit. Hæc plures vt formidine regis, & Corbulonis minis patrata & magnifica extollebant. Alij occultè pepigisse interpretabantur, vt omisso vtrimq. bello, & abeunte Vologese, Tigranes quoque Armeniâ abscederet. *Cur enim exercitum Romanum à Tigranocertis deduxerat? cur deserta per otium, quæ bello defenderant? An melius hibernauisse in extremâ Cappadociâ, raptim erectis tuguriis, quàm in sede regni modò retenti? Dilata prorsus arma, vt Vologeses cum alio quàm cum Corbulone certaret: Corbulo meritæ tot per annos gloriæ, non vltra periculum faceret.* Nam, vt rettuli, proprium ducem tuendæ Armeniæ poposcerat, & aduentare Cesennius Pætus audiebatur: iamque aderat, copiis ita diuisis, vt quarta & duodecima legiones additâ quintâ quæ recens è Mœsis excita erat, simul Pontica, & Gallatarum Cappadocumque auxilia Pæto obedirent: tertia & sexta & decima legiones, priorque Syriæ miles apud Corbulonem manerent. Cetera ex rerum vsu sociarent, partirentúrve. Sed neque Corbulo æmuli patiens, & Pætus cui satis ad gloriam erat si proximus haberetur, despiciebat gesta, nihil cædis aut prædæ, vsurpatas nominetenus vrbium expugnationes dictitans. Se tributa ac leges, & pro vmbrâ regis, Romanum ius victis impositurum. Sub idem

Copias præmittit.

At Corbulo auxiliatur Tigrani.

Præsidiis omnia firmat:

Inprimis Syriam.

Tigranes vrbem principem occupat.

Tentant eam frustrà Parthi.

Corbulo legat ad Vologesem.

Necille à pace abhorret.

Moneses reuocatur ab obsidione.

Pacta quædam occultiora inter Romanũ & Parthum.

Cum Corbulonis inuidiâ.

Intereà Pætus aduenit, cum copiis.

Ferociter loquitur.

Legati Parthici irriti Româ redeunt.

tempus legati Vologeſes, quos ad Principem miſſos memoraui, reuertêre irriti: bellumque propalam ſumtum à Parthis. nec Pætus detractauit, ſed duabus legionibus, quarum quartam Famiſulanus Vectonianus eo in tempore, duodecimam Calauius Sabinus regebant, Armeniam intrat, triſti omine.

Pætus Armeniam intrat, aue infaustâ.

Nam in tranſgreſſu Euphratis, quē ponte tranſmittebat, nullâ palam cauſsâ, turbatus equus qui conſularia inſignia geſtabat, retrò euaſit. Hoſtiaque quæ muniebantur hibernaculis aſſiſtēs, ſemifacta opera fugâ perrupit, ſeq. vallo extulit. & pila militum arsêre, magis inſigni prodigio, quia Parthus hoſtis miſſilibus telis decertat. Ceterùm Pætus ſpretis ominibus, nec dum ſatis firmatis hibernaculis, nullo rei frumentariæ prouiſu, rapit exercitum trans montem Taurum, reciperandis, vt ferebat, Tigranocertis, vaſtandiſq. regionibus, quas Corbulo integras omiſiſſet. Et capta quædam caſtella, gloriaque & prædæ nonnihil partum, ſi aut gloriam cum modo, aut prædam cum curâ habuiſſet. Longinquis itineribus percurſando quæ obtineri nequibant, corrupto qui captus erat commeatu, & inſtante iam hieme, reduxit exercitum. compoſuitque ad Cæſarem litteras, quaſi confecto bello, verbis magnificas, rerum vacuas. Interim Corbulo nunquam neglectam Euphratis ripam crebrioribus præſidiis inſedit: & ne ponti iniiciendo impedimentum hoſtiles turmæ afferrent, (iam enim ſubiectis campis, magnâ ſpecie volitabant) naues magnitudine præſtantes, & connexas trabibus, ac turribus auctas, agit per amnem, catapultiſque & baliſtis proturbat Barbaros. in quos ſaxa & haſtæ longius permeabant, quàm vt contrario ſagittarum iactu adæquarentur. Dein pons continuatus, colleſque aduerſi per ſocias cohortes, pòſt legionum caſtris occupantur; tantâ celeritate & oſtentatione virium, vt Parthi omiſſo paratu inuadendæ Syriæ, ſpem omnem in Armeniam verterent. Ibi Pætus imminentium neſcius, quinctam legionem procul in Ponto habebat. Reliquas promiſcuis militum commeatibus infirmauerat; donec aduentare Vologeſem magno & infenſo agmine auditū. Accitur legio duodecima, & vnde famam aucti exercitus ſperat, prodita infrequētia: quâ tamen retineri caſtra, & eludi Parthus tractu belli poterat, ſi Pæto aut in ſuis, aut in alienis conſiliis conſtantia fuiſſet. Verùm vbi à viris militaribus aduerſus vrgentes caſus firmatus erat, rurſus ne alienæ ſententiæ indigens videretur, in diuerſa ac deteriora tranſibat. Et tunc relictis hibernis, non foſſam neque vallum ſibi, ſed corpora & arma in hoſtem data clamitans, duxit legiones quaſi prœlio certaturus. Deinde amiſſo centurione & paucis militibus, quos viſendis hoſtium copiis præmiſerat, trepidus remeauit. Et quia minus acriter Vologeſes inſtiterat, vanâ rurſus fiduciâ, tria millia dilectorū proximo Tauri iugo impoſuit, quò tranſitum regis arcerent. Alares quoque Pannonios, robur equitatus, in parte campi locat. Coniunx ac filius caſtello, cui Arſamoſata nomen eſt, abditi, datâ in præſidium cohorte, ac diſperſo milite, qui in vnum habitus, vagum hoſtem promtiùs ſuſtentauiſſet. ægrè compulſum ferunt, vt inſtantem Corbuloni fateretur. Nec à Corbulone properatum, quò gliſcentibus periculis etiam ſubſidij laus augeretur. Expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos, parēm numerum è cohortibus iuſſit. At Vologeſes quamuis obſeſſa à Pæto itinera hinc peditatu, inde equite accepiſſet, nihil mutato conſilio, ſed vi ac minis alares exterruit, legionarios obtriuit, vno tantùm centurione Tarquitio Creſcente turrim in quâ præſidium agitabat, defendere auſo: factâ ſæpius eruptione, & cæſis qui Barbarorum propius ſuggrediebantur, donec ignium iactu circumueniretur. peditum ſi quis integer, longinqua & auia; vulnerati, caſtra repetiuere: virtutem

Principia tamen ei rident.

Corbulo interea Euphrati aſſidet:

Ponte eum iungit.

Vologeſes ad Pætum vertit.

Hic nutat valdè & trepidat.

Imperitè militem ſpargit.

Auxilium à Corbulone inuitus petit.

Vologeſes interea vi perrumpit.

Præſidia fugat, aut expugnat.

tutem regis,ſæuitiam & copias gentium, cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum qui eadem pauebant. Ne dux quidem obniti aduerſis, ſed cuncta militiæ munia deſeruerat, miſſis iterum ad Corbulonem precibus, veniret properè,ſigna & aquilas, & nomen reliquum infelicis exercitus tueretur: ſe fidem interim donec vita ſuppeditet, retenturum. Ille interritus & parte copiarum apud Syriam relictâ, vt munimenta Euphrati impoſita retinerentur, quâ proximum & commeatibus non egenum,regionem Comagenam,exin Cappadociam,inde Armenios petiuit. Comitabantur exercitum præter alia aſſueta bello,magna vis camelorum onuſta frumento, vt ſimul hoſtem famemque depelleret. Primum è perculſis Pactium primipili centurionem obuium habuit,dein pleroſque militum:quos diuerſas fugæ cauſſas obtendentes, redire ad ſigna, & clementiam Pæti experiri monebat.Se niſi victoribus immitem eſſe. Simul ſuas legiones adire, hortari, priorum admonere,nouam gloriam oſtendere. *Non vicos aut opida Armeniorum, ſed caſtra Romana,duasque in iis legiones pretium laboris peti. Si ſingulis manipularibus præcipua ſeruati ciuis corona imperatoriâ manu tribue etur, quod illud & quantum decus, vbi par eorum numerus adipiſceretur,qui attuliſſent ſalutem,& qui accepiſſent?* His atque talibus in commune alacres, (& erant quos pericula fratrum, aut propinquorum propriis ſtimulis incenderent)continuum diu noctuque iter properabant. Eoque intentiùs Vologeſes premere obſeſſos, modò vallum legionum, modò caſtellum quo imbellis ætas defendebatur, oppugnare, propiùs incedens quàm mos Parthis,ſi eâ temeritate hoſtem in prœlium eliceret. At illi vix contuberniis extracti, nec aliud quàm munimenta propugnabant: pars iuſſu ducis,& alij propriâ ignauiâ, vt Corbulonem opperientes, ac ſi vis ingrueret, prouiſis exemplis Caudinæ ac Numantinæ cladis.Neque eandem vim Samnitibus Italico populo,aut Pœnis Romani Imperij æmulis. Validam quoque & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contrà daret, ſaluti conſuluiſſe. Quâ deſperatione exercitus dux ſubactus, primas tamen litteras ad Vologeſen,non ſupplices, ſed in modum querentis compoſuit, *Quòd pro Armeniis ſemper Romanæ ditionis,aut ſubiectis regi quem Imperator dilegiſſet,hoſtilia faceret. Pacem ex æquo vtilem. Nec præſentia tantùm ſpectaret. Ipſum aduerſus duas legiones,totis regni viribus adueniſſe: at Romanis orbem terrarum reliquum, quo bellum iuuarent.* Ad ea Vologeſes, nihil pro cauſsâ,ſed opperiendos ſibi fratres Pacorũ ac Tiridatem reſcripſit. Illum locum tempuſque conſilio deſtinatum quid de Armeniâ cernerent. Adieciſſe deos dignum Arſacidarum, ſimul & de legionibus Romanis ſtatuerent. Miſſi pòſt à Pæto nuntij,& regis colloquium petitum, qui Vaſacem præfectum equitatus ire iuſſit. Tum Pætus,Lucullos,Pompeios,& ſi qui duces obtinendæ donandæue Armeniæ egerant: Vaſaces imaginem retinendi donandíve penes nos,vim penes Parthos memorat. Et multum inuicem diſceptato,Monobazus Adiabenus in diem poſterũ teſtis iis quæ pepigiſſent, adhibetur. Placuitq. liberari obſidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum,caſtellaque & commeatus Parthis tradi. Quibus perpetratis copia Vologeſi fieret,mittendi ad Neronem legatos. Interim fluuio Arſameti(is caſtra præfluebat) pontẽ impoſuit,ſpecie ſibi illud iter experientis. Sed Parthi quaſi documentum victoriæ iuſſerant. namque iis vſui fuit. Noſtri per diuerſum iere.Addidit rumor,ſub iugũ miſſas legiones, & alia ex rebus infauſtis:quorũ ſimulacrum ab Armeniis vſurpatum eſt. Nam & munimenta ingreſſi ſunt,antequam agmen Romanum decederet,& circumſtetere vias, captiua olim mancipia, aut iumenta agnoſcentes,abſtrahenteſque. Raptæ etiam veſtes,retenta arma,pauido milite & concedente,ne qua prœlij

Patus iacet.

Corbulonem intuetur & exſpectat.

Ille feſtinat.

Suos ad robur & celeritatem excitat.

At Parthus Romanos premit & obſidet.

Languidè hi ſe defendunt.

Immò deditionem loquuntur & ſpectant.

Itaque Patus pacem petit.

Tergiuerſatur Vologeſes.

Tamen ad colloquium ventum:

Et ex eo, ad infamia pacta.

Quia Parthi variè illudũt Romanis:

Nimium pauidis.

cauſſa exſiſteret. Vologeſes armis & corporibus cæſorum aggregatis, quò cladem noſtram teſtaretur, viſu fugientium legionum abſtinuit. Fama moderationis quærebatur, poſtquam ſuperbiam expleuerat. Flumen Arſametem elephanto inſidens, & proximus quiſque regi vi equorum perrupêre, quia rumor inceſſerat, pontem ceſſurum oneri, dolo fabricantium. Sed qui ingredi auſi ſunt, validum & fidum intellexêre. Ceterùm obſeſſis adeò ſuppeditauiſſe rem frumentariam conſtitit, vt horreis ignem iniicerent: contraq. prodiderit Corbulo Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem, neque ſe plus tridui itinere abfuiſſe. Adiecit, iureiurando Pæti cautum apud ſigna, adſtantibus iis, quos teſtificando rex miſiſſet, neminem Romanum Armeniam ingreſſurum, donec referantur litteræ Neronis, an paci annueret. Quæ vt augendæ infamiæ compoſita, ſic reliqua non in obſcuro habentur: vnâ die quadraginta millium ſpatium emenſum eſſe Pætum, deſertis paſſim ſauciis. neque minus deformem illam fugientium trepidationem, quàm ſi terga in acie vertiſſent. Corbulo cum ſuis copiis apud ripam Euphratis obuius, non eam ſpeciem in [illegible]nium & armorum prætulit, vt diuerſitatem exprobraret. Mæſti manipuli, ac vicem commilitonum miſerantes, ne lacrymis quidem temperauere. Vix præ fletu vſurpata conſalutatio. Deceſſerat certamen virtutis, & ambitio gloriæ, felicium hominum affectus: ſola miſericordia valebat, & apud minores magis. Ducum inter ſe breuis ſermo ſecutus eſt, hæc conquerentium: * *irritum laborem, potuiſſe bellum fugâ Parthorum finiri.* Ille integra vtrique cuncta reſpondit, conuerterent aquilas, & iuncti inuaderent Armeniam, abſceſſu Vologeſis infirmatam. *Non ea Imperatoris habere mandata Corbulo: periculo legionum commotum, è prouinciâ egreſſum. Quando in incerto habeantur Parthorum conatus, Syriam repetiturum. Sic quoque optimam fortunam orandam, vt pedes confectus ſpatiis itinerum, alacrem & facilitate camporum præuenientem equitem aſſequeretur.* Exin Pætus per Cappadociam hibernauit. At Vologeſis ad Corbulonem miſſi nuntij, detraheret caſtella trans Euphratem, amnemque vt omnium medium faceret. Ille Armeniam quoq. diuerſis præſidiis vacuam fieri expoſtulabat. Et poſtremò conceſſit rex. Diruptaque quæ vltra Euphratem communierat Corbulo, & Armenij ſuo arbitrio relicti ſunt. At Romæ trophæa de Parthis, arcuſque medio Capitolini montis ſiſtebantur: decreta ab ſenatu integro adhuc bello, neque tum omiſſa, dum aſpectui conſulitur, ſpretâ conſcientiâ. Quin & diſſimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetuſtate corruptum, in Tiberim iecit, quo ſecuritatem annonæ * ſuſtentaret. cuius pretio nihil additum eſt, quamuis ducentas fermè naues portu in ipſo, violentia tempeſtatis, & centum alias Tiberi ſubuectas, fortuitus ignis abſumſiſſet. Tris dein conſulares, L. Piſonem, Ducennium Geminũ, Pompeium Paullinũ vectigalibus publicis præpoſuit, cum inſectatione priorum Principum, qui grauitate ſumtuum iuſtos reditus anteiſſent. ſe annuum ſexcenties ſeſtertiũm Reipub. largiri. Percrebuerat eâ tempeſtate prauiſſimus mos, cùm propinquis comitiis, aut ſorte prouinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adſciſcerent filios, præturaſque & prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu quos adoptauerant. Qui magnâ cum inuidiâ ſenatum adeunt, ius naturæ, laboris educandi, aduerſus fraudem & artes & breuitatem adoptionis enumerant. *Satis pretij eſſe orbis quòd multâ ſecuritate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta promta & obuia haberent. Sibi promiſſa legum diu exſpectata, in ludibrium verti, quando quis ſine ſolicitudine parens, ſine luctu orbus, longa patrum vota repentè adæquaret.* Factum ex eo ſenatuſconſultum, ne ſimulata adoptio in vllâ parte muneris publici iuuaret, ac ne

Quibus omnia ex vberi:
Et hoſtibus contrà.
Infamiam Pæti Corbulo auget.
Qui occurrit cum ſuis fugienti.
Milites inter ſe beneuoli:
At non duces.
Species fœderis inter Vologeſem & Corbulonem.
Roma tamen non niſi fauſta omnia audita.
Frumentum vetus in Tiberim iactũ.
* Pet. Faber. oſtentaret.
Præfecti noui vectigalibus.
Querela de breui & fictâ adoptione.
Patres prouident, & prohibent.

ac ne vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet. Exin Claudius Timarchus Cretenſis reus agitur, ceteris criminibus, vt ſolent prævalidi prouincialium, & opibus nimiis ad iniurias minorum elati: vna vox eius vſq. ad contumeliam ſenatus penetrauerat, quòd dictitaſſet, in ſuâ poteſtate ſitum, an proconſulibus qui Cretam obtinuiſſent, grates agerẽtur. Quam occaſionem Pætus Thraſea ad bonum publicum vertens, poſtquam de reo cenſuerat, prouinciâ Cretâ depellendum, hæc addidit. *Vſu probatum eſt P. C. leges egregias, exempla honeſta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem: candidatorum ambitus, Iulias leges: magiſtratuum auaritia, Calpurnia ſcita, pepererunt. Nam culpa quàm pœna tempore prior, emendari quàm peccare poſterius eſt. Ergo aduerſus nouam prouinciarum ſuperbiam dignum fide conſtantiáque Romanâ capiamus conſilium, quo tutelæ ſociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quiſque habeatur alibi quàm in ciuium iudicio eſſe. Olim quidem non modò prætor aut conſul, ſed priuati etiam mittebantur, qui prouincias viſerent, & quid de ciuiuſque obſequio videretur, referrent. trepidabantque gentes de æſtimatione ſingulorum. At nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicuius grates, ita promtiùs accuſatio decernitur: Decernaturque, & manent prouincialibus potentiam ſuam tali modo oſtentandi. Sed laus falſa & precibus expreſſa, perinde cohibeantur, quàm malitia, quàm crudelitas. Plura ſæpe peccantur, dum demeremur, quàm dum offendimus. Quædam imo virtutes odio ſunt, ſeueritas obſtinata, inuictus aduersùm gratiam animus. Inde initia magiſtratuum noſtrorum meliora fermè, & finis inclinat, dum in modum candidatorum ſuffragia conquirimus. quæ ſi arceantur, æqualiùs atque conſtantiùs prouinciæ regentur. nam vt metus repetundarum infracta auaritia eſt, ita vetitâ gratiarum actione ambitio* cohibetur.* Magno aſſenſu celebrata ſententia. Non tamen ſenatuſconſultum perfici potuit, abnuentibus conſulibus eâ de re relatum. Mox auctore Principe ſanxere, ne quis ad concilium ſociorum referret, agendas apud ſenatum proprætoribus próueconſulibus grates, neu quis eâ legatione fungeretur. Iiſdem conſulibus gymnaſium ictu fulminis conflagrauit, effigieſque in eo Neronis ad informe æs liquefacta. Et motu terræ, celebre Campaniæ opidum Pompeij, magnâ ex parte proruit. Defunctaque virgo Veſtalis Lælia, in cuius locum Cornelia ex familiâ Coſſorum capta eſt. Memmio Regulo & Verginio Rufo Coss. natam ſibi ex Poppæâ filiam Nero vltra mortale gaudium accepit, appellauitque Auguſtam, dato & Poppææ eodem cognomento. Locus puerperio cõlonia Antium, vbi ipſe generatus erat. Iam ſenatus vterum Poppææ commendauerat diis, votaque publicè ſuſceperat. quæ multiplicata, exſolutaque. Et additæ ſupplicationes, templumque Fecunditati, & certamen ad exemplar * Atticæ religionis decretum. Vtque Fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Iouis collocarentur: ludicrum Circenſe, vt Iuliæ genti apud Bouillas, ita Claudiæ Domitiæque apud Antium ederetur. quæ fluxa fuêre, quartum intra menſem defunctâ infante: furſuſq. exortæ adulationes, cenſentium honorem diuæ, & puluinar, ædemque & ſacerdotem. Atque ipſe vt lætitiæ, ita mæroris immodicus egit. Adnotatum eſt, omni ſenatu Antium ſub recentem partũ effuſo, Thraſeam prohibitum, immoto animo prænuntiam imminentis cædis contumeliam excepiſſe. Secutam dehinc vocem Cæſaris ferunt, quâ reconciliatum ſe Thraſeæ apud Senecam iactauerit, ac Senecam Cæſari gratulatum. Vnde gloriæ egregiis viris, & pericula gliſcebant. Interim veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologeſis, litteraſque in eandem formam attulere. *Se priora & toties iactata ſuper obtinendâ Armeniâ nunc omittere, quoniam dij quamuis potentium populorum arbitri poſſeſſionem Parthis non ſine ignominiâ Romanâ tradidiſſent. Nuper clauſum Tigranem, pòſt Pætum legionesque cùm opprimere poſſet, incolumes dimiſiſſe. Satis approbatam vim, datum & lenitatis experimentum.*

Timarchus accuſatus.

Eâ occaſione, Thraſeæ ſententia.

** cohibebitur. Et cohibita ambitio prouincialium.*

Gymnaſium fulmine,

Pompeij opidum terræmotu, corruptæ.

A. V. C. DCCCXVI.

Filia Neroni nata:

Multâ adulatione patrum.

At ea breui abiit.

Thraſeas prohibetur aditu Cæſaris.

Legati Parthorum ad Principem.

Cum ſuperbiuſculis mandatis.

nentum. Nec recuſaturum Tiridatem accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotij religione attineretur. Iturum ad ſigna & effigies Principis, vbi legionibus coràm, regnum auſpicaretur. Talibus Vologeſis litteris, quia Pætus diuerſa tamquam rebus integris ſcribebat, interrogatus centurio qui cum legatis aduenerat, quo in ſtatu Armenia eſſet? omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit. Tum intellecto

Deliberat princeps:

Barbarorum irriſu, qui peterent quod eripuerant, conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax in hoſte placeret. Nec dubitatum de

Placuitq; bellum: Cui Corbulo præfectus.

bello. Et Corbulo tot per annos militum atque hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cuius alterius inſcitiâ rurſum peccaretur, quia Pæti piguerat. Igitur irriti remittuntur, cum donis tamen, vnde ſpes fieret, non fruſtrà eadem oraturum Tiridatem, ſi preces ipſe attuliſſet. Syriæque exſecutio Cintio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio, ducente Mario Celſo, è Pannoniâ adiecta eſt. Scribitur tetrarchis ac regibus præfectiſque & procuratoribus, & qui prætorum finitimas prouincias regebant,

Et finitimi præſides regesq; obedire ei iuſſi.

iuſſis Corbulonis obſequi, in tantum ferme modum auctâ poteſtate, quem populus Romanus Gn. Pompeio bellum Piraticum geſturo dederat. Regreſſum Pætum cùm grauiora metueret, facetiis inſectari ſatis habuit Cæſar, his

Pætum ſcommate Nero excipit.

fermè verbis: *Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promtus in pauorem longiore ſolicitudine ægreſceret.* At Corbulo quartâ & duodecimâ legionibus, quæ fortiſſimo quoque amiſſo, & ceteris exterritis, parum habiles prœlio videbantur, in Syriam tranſlatis, ſextam inde ac tertiam legiones, integrum militem & crebris ac

Copias Corbulo cogit.

proſperis laboribus exercitum in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam quæ per Pontum agens, expers cladis fuerat. Simul quintadecimanos recens adductos, & vexilla dilectorum ex Illyrico & Ægypto, quodque alarum cohortiumque, & auxilia regum in vnum conducta apud Melitenen, quà tranſmittere Euphratem parabat. Tum luſtratum ritè exercitum

Luſtrat, & oratione excitat.

ad concionem vocat, orditurque magnifica de auſpiciis imperatoriis, rebuſbuſque à ſe geſtis, aduerſam inſcitiam Pæti declinans: multâ auctoritate, quæ viro militari pro facundiâ erat. Mox iter L. Lucullo quondam penetratum, apertis quæ vetuſtas obſepſerat, pergit. Et venientes Tiridatis Vologeſiſque de pace legatos haut aſpernatus, adiungit iis centuriones cum mandatis non immitibus. *Non enim adhuc eò ventum, vt certamine extremo opus eſſet. Multa Romanis ſecunda, quædam Parthis euenisſe, documento aduerſus ſuperbiam: proindè & Tiridati conducere, intactum vaſtationibus regnum dono accipere; & Vologeſen melius ſocietate Romanâ, quàm damnis mutuis gentem Parthorum conſulturum. Scire quantum intus diſcordiarum, quamque indomitas & præferoces nationes regeret. Contrà Imperatori ſuo immotam vbique pacem, & vnum id bellum eſſe.* Simul conſilio terrorem adiicere, & Megiſtanas Armenios qui primi à nobis defecerant, pellit ſedibus, caſtella eorum exſcindit, plana, edita, validos, inualidoſque, pari metu complet. Non infenſum, nedum hoſtili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eoque conſilium eius fidum credebant. Ergo Vologeſes neque atrox in ſummam, * & quibuſdam præfecturis inducias petit. Tiridates locum diemque

Parthi ad eũ legati.

Nec viam iis pacis claudit.

Rem nihilominus in Armeniâ gerit.

Tiridates colloquium poſtulat.

colloquio poſcit. Tempus propinquum, locus in quo nuper obſeſſæ cum Pæto legiones erant, cùm à Barbaris dilectus eſſet, ob memoriam lætioris ſibi rei, non eſt à Corbulone vitatus, vt diſſimilitudo fortunæ gloriam augeret. Neque infamiâ Pæti augebatur, quod eo maximè patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos, atque opperiri reliquias malæ pugnæ imperauit. Die pactâ Tiberius Alexander illuſtris eques Romanus miniſter bello datus, & Viuianus Annius gener Corbulonis, nondũ ſenatoriâ ætate, ſed pro legato quintæ legioni impoſitus, in caſtra Tiridatis venêre, *honore eius, ac ne

Obſides à Romanis dantur.

*honori

metueret

metueret insidias tali pignore. Viceni dehinc equites assumpti. Et viso Corbulone, rex prior equo desiluit: nec contatus Corbulo. Sed pedes vterq. dextras miscuere. Exin Romanus laudat iuuenem, omissis præcipitibus tuta & salutaria capessentem. Ille de nobilitate generis multũ præfatus, cetera temperanter adiungit. Iturum quippe Romam, laturumque nouum Cæsari decus, non aduersis Parthorum rebus supplicem Arsaciden. Tum placuit Tiridatem ponere apud effigiem Cæsaris insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere. & colloquium osculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magnâ vtrimq. specie, inde eques compositus per turmas, & insignibus patriis, hinc agmina legionum stetêre fulgentibus aquilis, signisque & simulacris deûm in modum templi. Medio tribunal sedem curulem, & sedes effigiem Neronis, sustinebat. Ad quam progressus Tiridates, cæsis ex more victimis, sublatum capite diadema imagini subiecit. magnis apud cũctos animorum motibus, quos augebat insita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes, aut obsidio. At nunc versos casus: Iturum Tiridatẽ ostentui gentibus, quanto minus quàm captiuum? Addidit gloriæ Corbulo comitatem, epulasque. & rogitante rege causas, quoties nouum aliquid aduerterat: vt, initia vigiliarum per centurionem nuntiari, conuiuium buccinâ dimitti, & structa ante Auguralẽ aram subditâ face accendi: cuncta in maius extollens, admiratione prisci moris affecit. *postremo die spatium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres antè, matremque viseret: obsidem interea filiam tradit, litterasq. supplices ad Neronem. Et digressus Pacorum apud Medos, Vologesen Ecbatanis repperit, non incuriosum fratris: quippe & propriis nuntiis à Corbulone petierat, ne quam imaginem seruitij Tiridates perferret, neu ferrum traderet, aut complexu prouincias obtinentium arceretur, foribúsve eorum assisteret: tantusque Romæ, quantus consulibus, honor esset. Scilicet externæ superbiæ sueto, nõ erat notitia nostri: apud quos ius imperij valet, inania transmittuntur. Eodem anno Cæsar nationes Alpium maritimarum in ius Latij transtulit. Equitum Romanorũ locos sedilibus plebis antepositi, apud Circum. Namque ad eam diem indiscreti inibant; quia lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxit. Spectacula gladiatorũ idem annus habuit, pari magnificentiâ ac priora. Sed feminarum illustrium senatorumq. plures per arenam fœdati sunt. C. Lecanio, M. Licinio Coss. acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiscuas scenas frequentandi. Nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuuenalibus ludis, quos vt parum celebres & tantæ voci angustos spernebat. Non tamen Romæ incipere [*scenas] ausus, Neapolim quasi Græcam vrbem dilegit. Inde initium fore, vt transgressus in Achaiam, insigneque & antiquitùs sacras coronas adeptus, maiore famâ studia ciuium eliceret. Ergo contractum opidanorum vulgus, & quos è proximis coloniis & municipiis eius rei fama ciuerat, quique Cæsarem per honorem, aut varios vsus sectantur. etiam militum manipuli theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique vt arbitrabantur, triste; vt ipse, prouidum potius & secundis numinibus euênit. Nam egresso qui affuerat pŏpulo, vacuum & sine vllius noxâ theatrum collapsum est. Ergo per compositos cantus grates diis, atque ipsam recentis casus fortunam celebrans, petituruque maris Hadriæ traiectus, apud Beneuentum interim consedit: vbi gladiatorum munus à Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdissima eius aulæ ostenta fuit, sutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primò in contumelias assumtus, deinde optimi cuiusque criminatione eò vsque valuit, vt gratiâ, pecuniâ, vi nocendi etiam malis præmineret. Eius

munus

Ita rex ad Corbulonem venit.

Pacta inter eos.

Tiridates diadema detractũ Neroni subiicit.

Epulo excipitur à Corbulone.

Et res Romanas docetur.

**Fortasse, postero*

Abit fratres salutaturus.

Alpium pars iure Latij donata.

Sedes equitũ in Circo discretæ.

A. V. C. DCCCXVII.

**Videtur delendum.*

Neapoli Nero se & vocem publicat.

Theatrum ruit, sed sine noxâ.

Gladiatorũ munus Beneuenti,

A pessimo Vatinio.

munus frequentanti Neroni, ne inter voluptates quidem à sceleribus cessabatur. Iisdem quippe illis diebus Torquatus Silanus mori adigitur, quia super Iuniæ familiæ claritudinẽ diuum Augustum atauum ferebat. Iussi id accusatores obicere, prodigum largitionibus, neque aliam spem quàm in nouis rebus esse. quin eum nobiles habere, quos ab epistolis & libellis & rationibus appellet, nomina summæ curæ & * meditamenta. Tum intimus quisque libertorum vincti abreptique. Et cùm damnatio instaret, brachiorum venas Torquatus interscidit, secutaque Neronis oratio ex more: *Quamuis sontem & defensioni meritò diffisum, victurum tamen fuisse si clementiam iudicis exspectasset.* Nec multo pòst omissâ in præsens Achaiâ (caussæ in incerto fuere) vrbem reuisit; prouincias Orientis, maximè Ægyptum, secretis imaginationibus agitans. Dein edicto testificatus non longam sui absentiam, & cuncta in Rep. exinde immota ac prospera fore, super eâ profectione adiit Capitolium, illic veneraturus deos. Cùm Vestæ quoque templum inisset, repentè cunctos per artus tremens, seu numine exter[illegible]nte, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptu[illegible], cunctas sibi curas amore patriæ leuiores dictitans. *Vidisse ciuium mœstos vultus, audire secretas querimonias, quòd tantum aditurus esset iter, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, sueti aduersum fortuita aspectu Principis refoueri. Ergo vt in priuatis necessitudinibus proxima pignora præualerent; ita populum Romanum vim plurimam habere: parendumque retinenti.* Hæc atque talia plebi volenti fuere, voluptatum cupidine, & quæ præcipua cura est, rei frumentariæ angustias si abesset metuenti. Senatus & primores in incerto erant, procul an coràm atrocior haberetur. dehinc, quæ natura magnis timoribus, deterius credebant quod euenerat. Ipse quò fidem acquireret, nihil vsquam perinde lætum sibi; publicis locis struere conuiuia, totaque vrbe quasi domo vti. Et celeberrimæ luxu famaque epulæ fuere, quas Tigellino paratas, vt exemplum referam, ne sæpius eadem prodigentia narranda sit. Igitur in stagno Agrippæ fabricatus est ratem, cui superpositum conuiuium aliarum tractu moueretur. Naues auro & ebore distinctæ. Remigesq. exoleti, per ætates & scientiam libidinum componebantur. Volucres & feras diuersis è terris, & animalia maris Oceano abusque petiuerat. Crepidinibus stagni lupanaria astabant, illustribus feminis completa. Et cõtrà scorta visebantur, nudis corporibus. Iam gestus motusque obsceni, & postquam tenebræ incedebant, quantum iuxta nemoris, & circumiecta tecta, consonare cantu & luminibus claresceret. Ipse per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitij reliquerat, quo corruptior ageret; nisi paucos post dies vni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum sollennium coniugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum. * Missi auspices duo, & genialis torus, & faces nuptiales; cuncta denique spectata, quæ etiam in feminâ nox operit. Sequitur clades, forte, an dolo Principis incertum: nam vtrumque auctores prodidere: sed omnibus quæ huic vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior atque atrocior. Initium in eâ parte Circi ortum, quæ Palatino Cælioque montibus cõtigua est. Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul cœptus ignis, & statim validus, ac vento citus longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis septæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interiacebat. Impetu peruagatum incendium, plana primùm, deinde in edita assurgens, rursus inferiora populando anteiit remedia velocitate mali, & obnoxiâ vrbe artis itineribus, hucque & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta pauentium feminarum fessa * [ætate] aut rudis pueritiæ ætas, quique sibi, quique

Iunius Torquatus ad mortẽ actus.

* *Scribo, meditamenti.*

Achaiam Nero cogitat.

Omittit:

Quasi caritate plebis & patriæ.

Infames eius epulæ,

Magno sumptu:

Turpi libidine.

Denique (ô scelus, scelus,) nubit.

* *Forti,* Visi

Incendium grande Romæ.

Miseræ eius facies.

* Delendum videtur.

quiq́ue aliis consulebant, dum trahunt inualidos aut opperiuntur, pars morans, pars festinans, cuncta impediebant: & sæpe dum in tergum respectant, lateribus aut fronte circumueniebantur: vel si in proxima euaserant, illis quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, in eodem casu reperiebantur. Postremò quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros: quidam amissis omnibus fortunis diurni quoque victus, alij caritate suorum quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio interiere. Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium; & qui alij palàm faces iaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur: siue vt raptus licentiùs exercerent, seu iussu. Eo in tempore Nero Antij agens, non antè in vrbem regressus est, quàm domui eius, quà palatium & Mæcenatis hortos cõtinuauerat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin & palatium & domus & cuncta circũ haurirentur. Sed solatium populo exturbato & profugo, campum Martis ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam suos patefecit. Et subitaria ædificia exstruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subuectaq́ue vtensilia ab Hostiâ, & propinquis municipiis. pretiumq́. frumenti minutum, vsq. ad ternos nummos. Quæ quamquam popularia, in irritum cadebant, quia peruaserat rumor: ipso tempore flagrantis vrbis, inisse eum domesticam scenam, & cecinisse Troianum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimulantem. Sexto demùm die apud imas Esquilias finis incendio factus, proruptis per immensum ædificiis, vt cõtinuæ violentiæ campus & velut vacuum cælum occurreret. Necdum posito metu redibat. * Leuis rursum grassatus ignis, patulis magis vrbis locis, eoq́. strages hominum minor. delubra deûm, & porticus amœnitati dicatæ latiùs procidêre. Plusq́ue infamiæ id incendium habuit, quia prædiis Tigellini Æmylianis proruperat. Videbaturq́. Nero condendæ vrbis nouæ, & cognomẽto suo appellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma diuiditur: quarum quattuor integræ manebant, tres solo tenus deiectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia superarant, lacera & semiusta. Domuum, & insulârum, & templorum, quæ amissa sunt, numerum inire haut promtũ fuerit: sed vetustissimâ religione, quod Seruius Tullius Lunæ, & Magna ara fanumq́ue quæ præsenti Herculi Arcas Euander sacrauerat, ædesq́ue Statoris Iouis vota Romulo, Numæq́ue regia, & delubrum Vestæ cum penatibus populi Romani, exusta. iam opes tot victoriis quæsitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta, quamuis in tantâ resurgentis vrbis pulchritudine, multa seniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere qui annotarent, XIIII. Kalen. Sextiles principium incendij huius ortum, quo & Senones captam vrbem inflammauerant. Alij eò vsque curâ progressi sunt, vt totidem annos mensesq́ue & dies inter vtraque incendia numerent. Ceterùm Nero vsus est patriæ ruinis, exstruxitq́ue domum, in quâ haut perinde gemmæ & aurum miraculo essent; solita pridem, & luxu vulgata, quàm arua & stagna, & in modum solitudinum hinc siluæ, inde aperta spatia, & prospectus: magistris & machinatoribus Seuero & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegauisset, per artem tentare, & viribus Principis illudere. Namque ab lacu Auerno nauigabilem fossam vsque ad ostia Tiberina depressuros promiserant, squalenti litore, aut per montes aduersos. Neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quàm Pomptinæ paludes: cetera abrupta, aut arentia, ac si perrumpi possent, intolerandus labor, nec satis caussæ. Nero tamen, vt erat incredibiliũ cupitor, effodere proxima Auerno iuga

Quod nec restingui licuit.

Domus etiã Principis exusta.

Receptacula quædam plebi data.

At ille canit inter flammas.

Nec sine eius nutu videbatur id incendium.

Ceterum tota pænè Roma eo corrupta:

Et vetustissima templa:

Innumera statuæ.

Nero domum sibi exstruit,

Laxitate & splendore mirificam.

Ipsa vrbs cæpta instaurari:

no iuga connixus est: manentque vestigia irritæ spei. Ceterùm vrbis quæ domus supererant, non vt post Gallica incendia, nullâ distinctione, nec passim erectæ: sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibitâ ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent. Easque porticus Nero suâ pecuniâ exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est. Addidit præmia pro cuiusque ordine, & rei familiaris copiis: finiuitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis, adipiscerentur. Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, vtque naues quæ frumentum Tiberi subuectassent, onustæ rudere decurrerent. Ædificiaque ipsa certâ sui parte, sine trabibus, saxo Gabino Albanoque solidarentur: quòd is lapis igni imperuius est. Iam aqua priuatorum licentiâ intercepta, quo largior & pluribus locis in publicũ flueret, custodes: & subsidia reprimendis ignibus, in propatulo quisque haberet: nec communione parietum, sed propriis quæque muris ambirentur. Ea ex vtilitate accepta decorem quoque nouæ vrbi attulere. Erant tamen qui crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angustiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde solis vapore perrumperentur. At nunc patulam latitudinem, & nullâ vmbrâ defensam, grauiore æstu ardescere. Et hæc quidem humanis cõsiliis prouidebantur. Mox petita à diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatũ Vulcano & Cereri Proserpinæque, ac propitiata Iuno per matronas, primùm in Capitolio, deinde apud proximum mare. Vnde haustâ aquâ, templũ & simulacrum deæ prosperſum est; & lectisternia ac peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti erant. Sed non ope humanâ, nõ largitionibus Principis aut deûm placamentis, decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos, vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius CHRISTVS, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressaq. in præsens * exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modò per Iudæam originem eius mali, sed per vrbem etiam: quò cuncta vndique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haut perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi; atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & Circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel * circulo insistens. Vnde quamquam aduersus sontes & nouissima exemplum meritos, miseratio oriebatur; tamquam non vtilitate publicâ, sed in sæuitiam vnius absumerentur. Interea conferendis pecuniis peruastata Italia, prouinciæ euersæ, sociique populi, & quæ ciuitatum liberæ vocantur. Inque eam prædam etiam dij cessere, spoliatis in vrbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prosperè aut in metu sacrauerat. Enimuerò per Asiam atque Achaiam non dona tantùm, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas prouincias Acrato, ac Secũdo Carinate. Ille libertus cuicunque flagitio promtus: hic Græcâ doctrinâ ore tenus exercitus, animum bonis artibus non induerat. Ferebatur Seneca, quò inuidiam sacrilegij à semet auerteret, longinqui ruris secessum orauisse: & postquam non concedebatur, fictâ valetudine quasi æger neruis, cubiculum non egressus. Tradidere quidam, venenum ei per libertũ ipsius cui nomen Cleonicus, paratum, iussu Neronis:

Sed ad mensuram & compositè.

Etiã firmior contra incendia,

Et veteri pulchrior:

Non tamen salubrior.

Diis supplicia instituta.

Et alia supplicia in Christianos, quasi incendiarios.

** Var. exitialis*

Tacc impie.

Signis in eos crudelitas.

Nero interea aurigatur.
** curriculo*

Italiam & prouincias exhaurit.

Templa dispoliat.

Seneca vocẽ aut mentem his sceleribus non commodat.

Venenum ei paratum.

Neronis: vitatumq́. à Senecâ proditione liberti, seu propriâ formidine, dum simplici victu, & agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, profluente aquâ vitam tolerat. Per idem tempus gladiatores apud opidum Preneste, tentatâ eruptione, præsidio militis, qui custos adesset, coërciti sunt: iam Spartacum & vetera mala rumoribus ferente populo, vt est nouarum rerum cupiens pauidusque. Nec multo pòst clades rei naualis accipitur, nõ bello (quippe haut aliàs tam immota pax) sed certũ ad diem in Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores quamuis sæuiente pelago à Formiis mouere, & graui Africo, dum promontorium Miseni superare contendunt, Cumanis litoribus impacti, triremium plerasque, & minora nauigia passim amiserunt. Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia. Vis fulgurum non aliàs crebrior, & sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum. Bicipites hominum aliorúmve animalium partus abiecti in publicum, aut in sacrificiis quibus grauidas hostias immolare mos est, reperti. Et in agro Placẽtino viam propter natus vitulus, cui caput in crure esset. Secutaque haruspicum interpretatio: parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum, neq. occultum: quia in vtero repressum, aut iter iuxta editum sit. Ineunt deinde consulatum Silius Nerua, & Atticus Vestinus, cœptâ simul & auctâ coniuratione, in quam certatim nomina dederant, senatores, eques, miles, feminæ etiam, cùm odio Neronis, tum fauore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paternâ nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis ciuibus exercebat, largitionem aduersus amicos, & ignotis quoque comi sermone & congressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. Sed procul grauitas morum, aut voluptatum parcimonia. Lenitati ac magnificentiæ, & aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tantâ vitiorum dulcedine summum imperium non restrictum, nec perseuerum volunt. Initium coniurationi non à cupiditate ipsius fuit. nec tamen facilè memorauerim, quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit, quod tam multi sumserunt. Promptissimos Subrium Flauium tribunum prætoriæ cohortis, & Sulpicium Asprum centurionem exstitisse constantia exitus docuit. Et Lucanus Annæus, Plautiusque Lateranus consul designatus, viuida odia intulere. Lucanum propriæ caussæ accendebant, quòd famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque ostentare, * vanus assimulatione. Lateranũ consulem designatũ, nulla iniuria, sed amor Reipub. sociauit. At Flauius Sceuinus & Afranius Quinctianus, vterque senatorij ordinis, contra famam sui, principium tanti facinoris capessiuere. Nam Sceuino dissoluta luxu mens, & proinde vita somno languida. Quinctianus * molli corpore infamis, & à Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias vltum ibat. Ergo dum scelera Principis, & finem adesse imperij, diligendumque qui fessis rebus succurreret inter se aut inter amicos iaciunt, aggregauere Tullium Senecionem, Ceruarium Proculum, Vulcatium Araricum, Iulium Tugurinum, Munatium Gratũ, Antonium Natalem, Martium Festum, equites Romanos: ex quibus Senecio è præcipuâ familiaritate Neronis speciem amicitiæ etiam tum retinens, eò pluribus periculis conflictabatur. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat. Ceteris spes ex nouis rebus petebatur. Ascitæ sunt * super Subrium & Sulpicium, de quibus rettuli, militares manus, Granius Siluanus & Statius Proximus, tribuni cohortium prætoriarum, Maximus Scaurus & Venetus Paullus centuriones. Sed summum robur

Continentia hominis.

Clades in mari.

Prodigia plura.

A. V. C. DCCCXIIX.

Coniuratio in Neronem.

Capite G. Pisone.

Ille descriptus.

Et qui præcipui in eâ.

Lucanus poëta:

*Farn. vanâ

Sceuinus.

Quinctianus:

* *Farn.* mollitie corporis

Plures alij:

* *Far.* per *Etiam ex prætorio.*

Imò & ipse Præfectus.

mum robur in Fenio Rufo præfecto videbatur: quem vitâ famaq́ue laudatum, per sæuitiã impudicitiamq́ue Tigellinus in animo Principis anteibat, fatigabatq́ue criminationibus, ac sæpe in metũ adduxerat, quasi adulterum Agrippinæ & desiderio eius vltioni intentum. Igitur vbi coniuratis præfectum quoque prætorij in partes descendisse, crebro ipsius sermone facta fides; promtiùs iam de tempore ac loco cædis agitabant. Et cepisse impetum Subrius Flauius ferebatur, in scenâ canentem Neronem aggrediendi, aut cùm ardente domo per noctem huc illuc cursaret incustoditus. Hîc occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis, pulcherrimum animum exstimulauerant: nisi impunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus aduersa. Interim contantibus prolatantibusq́. spem ac metum, Epicharis quædam, incertum quónam modo sciscitata (neque illi antè vlla rerum honestarum cura fuerat) accendere, & arguere coniuratos: ac postremò lentitudinis eorum pertæsa, & in Campaniâ agens primores classiariorum Misenensium labefacere, & cõscientiâ illigare co[illegible]nixa est tali initio. Erat Chiliarchus in eâ classe Volusius Proculus, occide[illegible]dæ matris Neronis inter ministros non ex magnitudine sceleris prouectus, vt rebatur. Is mulieri olim cognitus, seu recens ortâ amicitiâ, dum merita erga Neronẽ sua & quàm in irritum cecidissent, aperit, adiicitq́. questus & destinationẽ vindictæ, si facultas otiretur, spem dedit posse impelli & plures conciliare. nec leue auxilium in classe; crebras occasiones, quia Nero multo apud Puteolos & Misenũ maris vsu lætabatur. Ergo Epicharis plura, & omnia scelera Principis orditur. Neque senatui, * quid manere, sed prouisum, quo nam modo pœnas versæ Reip. daret: accingeretur modò, nauaret operam, & militũ acerrimos duceret in partes, ac digna pretia exspectaret. Nomina tamen coniuratorum reticuit. Vnde Proculi indicium irritum fuit, quamuis ea quæ audierat ad Neronem detulisset. Accita quippe Epicharis, & cum indice composita, nullis testibus innixum facilè confutauit. Sed ipsa in custodiâ retenta est, suspectante Nerone, haut falsa esse etiam quæ vera non probabantur. Coniuratis tamen metu proditionis placitum maturare cædem apud Baias, in villâ Pisonis: cuius amœnitate captus Cæsar crebrò * ventitabat, balneasq́. & epulas inibat omissis excubijs, & fortunæ suæ mole. Sed abnuit Piso, inuidiam prætendẽs, si sacra mensæ dijq. hospitales cæde qualiscumq. Principis cruentarentur. Melius apud vrbẽ in illâ inuisâ & spoliis ciuium exstructâ domo, vel in publico patraturos, quod pro Rep. suscepissent. Hæc in commune: ceterùm timore occulto, ne L. Silanus eximiâ nobilitate, disciplinaq́ue C. Cassij apud quem educatus erat, ad omnem claritudinẽ sublatus, imperium inuaderet, promtè daturis operam qui à coniuratione integri essent, quiq́ue miserarentur Neronem tanquam per scelus interfectum. Plerique Vestini quoque consulis acre ingenium vitauisse Pisonem crediderunt, ne * à libertate moueretur, vel dilecto Imperatore alio, sui muneris Remp. faceret. Etenim expers coniurationis erat, quamuis super eo crimine Nero vetus aduersus insontem odium expleuerit. Tandẽ statuêre Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata: quia Cæsar rarus egressu, domo aut hortis clausus, ad ludicra Circi ventitabat; promtioresq́ue aditus erant lætitiâ spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, vt Lateranus quasi subsidium rei familiari oraret deprecabundus & genibus Principis accidens, prosterneret incautum premeretq́ue, animi validus, & corpore ingens. Tum iacentẽ & impeditum, tribuni & centuriones, & ceterorum vt quisque audentiæ habuisset, accurrerent, trucidarentq́ue: primas sibi partes expostulãte Sceuino, qui pugionem

templo

Flauij honestus impetus:

Sed ignauiter remissus.

Epicharis moras ægrè fert:

Proculum asciscere conatur.

Ille eam defert.

Constanter hæc refutat.

Consilium cædendi Tyranni apud Baias.

* crebrò eò ventitabat,

Sed iterum omissum.

Metu ne alij arriperent Imperium.

Deniq. placuit Circensibus eum aggredi.

Scæna gerendæ rei.

templo Salutis in Etruriâ,siue,vt alij tradidere, Fortunæ Ferentano in opido detraxerat, gestabatque velut magni operis sacrum. Interim Piso apud ædem Cereris opperiretur,vnde eum præfectus Fenius & ceteri accitum ferrent in castra,comitante Antoniâ Claudij Cæsaris filiâ, ad eliciendam vulgi fauorem. quod C.Plinius memorat. Nobis quoquo modo traditum non occultare in animo fuit, quamuis absurdum videretur & inane, aut ipsi Antoniam nomen & periculum commodauisse, aut Pisonem notum amore vxoris,alij matrimonio se obstrinxisse: nisi si cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est.Sed mirũ quàm inter diuersi generis,ordinis,ætatis,sexus, dites,pauperes,taciturnitate omnia cohibita sint: donec proditio cœpit è domo Sceuini. Qui pridie insidiarum, multo sermone cum Antonio Natale, dein regressus domum, testamentum obsignauit: promtum vaginâ pugionem,de quo suprà rettuli,vetustate obtusum increpans,asperari saxo,& mucronem ardescere iussit. Eamque curam liberto Milicho mandauit. Simul affluentius solito conuiuium in tum. seruorum carissimi libertate,& alij pecuniâ donati. Atque ipse mæstus, & magnæ cogitationis manifestus erat, quamuis lætitiam vagis sermonibus simularet. Postremò vulneribus ligamenta,quibusq. sistitur sanguis parare eundem Milichum monet: siue gnarum coniurationis,& hucusque fidum,seu nescium,& tunc primùm arreptis suspicionibus,vt pleriq. tradidere,de consequentibus. Nam cùm secum seruilis animus præmia perfidiæ reputauit, simulque immensa pecunia & potentia obuersabantur,cessit fas,& salus patroni, & acceptæ libertatis memoria. Etenim vxoris quoque consilium assumserat,muliebre ac deterius,quippe vltrò metum intentabat, multosque astitisse libertos ac seruos,qui eadem viderint: nihil profuturum vnius silentium. at præmia penes vnum fore,qui indicio præuenisset. Igitur cœptâ luce Milichus in hortos Seruilianos pergit: & cùm foribus arceretur,magna & atrocia afferre dictitans, deductusque ab ianitoribus ad libertũ Neronis Epaphroditũ,mox ab eo ad Neronem,vrgens periculum,graues coniurationes, & cetera quæ audierat, coniectauerat que, docet. Telum quoque in necem eius paratum ostendit, acciriique reum iussit. Is raptus per milites,& defensionem orsus, *Ferrũ cuius argueretur, olim religione patriâ cultum, & in cubiculo habitum, ac fraude liberti subreptum* respondit. *Tabulas testamenti sæpius à se, & incustoditâ dierum obseruatione, signatas. Pecunias & libertates seruis & antè dono datas; sed ideo tunc largius, quia tenui iam re familiari, & instantibus creditoribus, testamento diffideret. Enim verò liberales semper epulas struxisse, & vitam amœnam, & duris iudicibus parum probatam. Fomenta vulneribus nulla iussu suo; sed quia cetera palàm vana obiecisset, adiungere crimen visum, se pariter iudicem & testem facere.* Adiicit dictis constantiam. incusat vltrò intestabilem, & consceleratum, tantâ vocis ac vultus securitate, vt labaret indicium, nisi Milichum vxor admonuisset, Antonium Natalem multa cum Sceuino, ac secretò collocutum, & esse vtrosque C.Pisonis intimos. Ergo accitus Natalis: & diuersi interrogantur, quis nam is sermo, quâ de re fuisset. Tum exorta suspicio, quia non congruentia responderant. Inditaque vincla. Et tormentorum aspectum ac minas non tulere.Prior tamen Natalis totius coniurationis magis gnarus,simul arguendi peritior,de Pisone primùm fatetur. Deinde adiicit Annæum Senecam,siue internuntius inter eum Pisonemque fuit,siue vt Neronis gratiam pararet, qui infensus Senecæ,omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Tum cognito Natalis indicio Sceuinus quoque pari imbecillitate, an cuncta iam patefacta credens,nec vllum silentij emolumentum, edidit ceteros. Ex quibus Lucanus,Quinctianusque,& Senecio diu abnuêre.Post promissâ impu-

Fatũ vegetat, & coniuratio detegitur.

Per vanitatem Sceuini.

Milichus suspiciones arripit.

Cum vxore communicat.

Ad Principem defert.

Sceuinus sistitur.

Et fidenter se defendit.

Libertum arguit, Iam labantem, nisi vxor subuenisset.

Natalis vocatus:

Et tota res patefacta.

Seneca accusatus,

Lucanus.

nitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Atillam matrem suam. *Alij.* Quinctianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem amicorum præcipuos nominauere. Atque interim Nero recordatus Volusij Proculi indicio Epicharim attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, tormentis *Epicharis admota tormentis,* dilacerari iubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acriùs torquentium ne à feminâ spernerentur, peruicere quin obiecta denegaret. Sic pri- *Nil fatetur:* mus quæstionis dies contemtus. Postero cùm ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ (nam dissolutis mẽbris insistere nequibat) vinclo fasciæ *Quin vltrò sese examinat.* quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit ceruicem, & corporis pondere connisa, tenuem iam spiritum expressit: clariore exemplo libertina mulier in tantâ necessitate alienos ac propè ignotos protegendo, cùm ingenui & viri & equites Romani senatoresque intacti tormentis, carissima quæque suorum pignorum proderent. Non enim omittebant Lucanus quoque & Senecio & Quinctianus passim conscios edere, ma- *Nero pauidus præsidia vbique disponit.* gis magisque pauido Nerone, quamquam multiplicatis excubiis semet sepsisset. Quin & vrbem per manipulos occupatis mœnibus, infesso etiã mari & amne, velut in custodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque & proxima municipiorum pedites equitesque permixti Germanis, *Agmina reorum trahuntur.* quibus fidebat Princeps quasi externis. Continua hinc & iuncta agmina trahi, ac foribus hortorum adiacere. Atq. vbi dicendam ad caussam introissent, lætatum erga coniuratos, si fortuitus sermo, & subiti occursus, si conuiuium, si spectaculum simul inissent pro crimine accipi: cùm super Neronis ac Ti- *Fenij Rufi dissimulatio.* gellini sæuas percontationes, Fenius quoque Rufus violenter vrgeret, nondum ab indicibus nominatus, sed quò fidem inscitiæ pararet, atrox aduersus socios. Idem Subrio Flauio assistenti, annuentique an inter ipsam cognitionem distringeret gladium, cædemque patraret, retinuit, infregitq. impetum iam manum ad capulum referentis. Fuere qui proditâ coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Sceuinus, hortarentur Pisonem pergere in *Pisonem interea ad cœnandii multi hortantur:* castra, aut rostra escendere, studiaque militum & populi tentare: *si conatibus eius conscij aggregarentur, secuturos etiam integros. magnamque motæ rei famam, quæ plurimum in nouis consiliis valeret. Nihil aduersum hoc Neroni prouisum. etiam fortes viros subitis terreri; ne dum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante, arma contra cieret. Multa experiendo fieri, quæ segnibus ardua videantur. Frustra silentium & fidem in tot consciorum animis & corporibus sperari. Cruciatu aut præmio, cuncta peruia esse. Venturos qui ipsum quoque vincirent, postremò indignâ nece afficerent. Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur Remp. dum auxilia libertati inuocat, dum miles potius desset, & plebes desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita præriperetur, mortem approbaret?* Immotus iis, & paulu- *Bonis rationibus.* *Non illi is animus.* lum in publico versatus, pòst domi secretus, animum aduersum suprema firmat. donec manus militum aduenirent, quos Nero tirones aut stipendiis recentes dilegerat. Nam vetus miles timebatur, tamquam fauore imbutus. *Mortem sumit.* Obiit abruptis brachiorum venis. Testamentum fœdis aduersus Neronem adulationibus, amori vxoris dedit, quam degenerem, & solâ corporis formâ *Supremis tabulis adulatur Tyranno.* commendatam, amici matrimonio abstulerat. Nomen mulieris Arria Gal- *Plautij Laterani egregia mors.* la, priori marito, Domitius Silius: hic patientiâ, illa impudicitiâ, Pisonis infamiam propagauere. Proximam necem Plautij Laterani consulis designati Nero adiungit, adeò properè, vt non complecti liberos, non illud breue mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum seruilibus pœnis sepositum, manu Statij tribuni trucidatur, plenus constantis silentij, nec tribuno obiiciens eandem conscientiam. Sequitur cædes Annæi Senecæ lætissima Principi, non quia coniurationis manifestum compererat, sed vt ferro grassaretur, quando

venenum

venenum non processerat. Solus quippe Natalis, & hactenus promsit: missum se ad ægrotum Senecam, vt viseret cõquerereturque, cur Pisonem aditu arceret? melius fore si amicitiam familiari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam, sermones mutuos & crebra colloquia neutri conducere: ceterùm salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Hæc ferre Granius Siluanus tribunus prætoriæ cohortis, & an dicta Natalis, suaque responsa nosceret, percontari Senecam iubetur. Is, fortè an prudens, ad eum diem ex Campaniâ remeauerat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illò propinquâ vesperâ tribunus venit, & villam globus militum sepsit. Tum ipsi cum Pompeiâ Paullinâ vxore & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis quòd visendo eo prohiberetur, se ratione valetudinis & amore quietis, excusauisse respondit. *Cur salutem priuati hominis incolumitati suæ anteferret, caussam non habuisse. nec sibi promtum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum quàm Neroni, qui sæpiùs libertatem Senecæ, quàm seruitium expertus esset.* Vbi hæc à tribuno relata sunt, Poppæâ & Tigellino coram, quod erat sæuienti Principi intimũ consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet? Tum tribunus nulla pauoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprehensum confirmauit. Ergo regredi, & indicere mortem iubetur. Tradit Fabius Rusticus, non eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Fenium præfectum, & expositis Cæsaris iussis, an obtemperaret interrogauisse: monitumque ab eo, vt exsequeretur, fatali omnium ignauiâ. Nam & Siluanus inter coniuratos erat, augebatque scelera in quorum vltionem consenserat. Voci tamen & aspectui pepercit. intromisitque ad Senecam vnum ex centurionibus, qui necessitatem vltimam denuntiaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac denegante centurione, conuersus ad amicos, *quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod vnum iam tamen & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur. cuius si memores essent bonarum artium, famam tam constantis amicitiæ laturos.* Simul lacrymas eorum, modò sermone, modò intentior in modum coërcentis, ad firmitudinem reuocat, rogitans: *Vbi præcepta sapientiæ? vbi tot per annos meditata ratio aduersum imminentia? Cui enim ignaram fuisse sæuitiam Neronis? Neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, quàm vt educatoris præceptorisque necem adiiceret.* Vbi hæc atque talia velut in commune disseruit, complectitur vxorem. & paululum aduersus præsentem formidinem mollitus, rogat oratque temperaret dolori, ne æternum susciperet, sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contrà, sibi quoque destinatam mortem adseuerat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriæ eius non aduersus, simul amore, ne sibi vnicè dilectam ad iniurias relinqueret: *Vitæ*, inquit, *delinimenta monstraueram tibi, tu mortis decus mauis: non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes vtrosque par, claritudinis plus in tuo fine.* Post quæ, eodem ictu brachia ferro exsoluunt. Seneca, quoniam senile corpus & paruo victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque & poplitum venas abrumpit. Sæuisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum vxoris infringeret, atque ipse visendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et nouissimo quoq. momento suppeditante eloquentiâ, aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita eius verbis, inuertere superfedeo. At Nero, nullo in Paullinam proprio odio, ac ne glisceret inuidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, serui libertiq. obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignaræ. Nam vt est vulgus ad deteriora promptũ, non

Sapientia, id est Seneca, cades.
Qui in rure suburbano.
Libera eius responsio ad quæsita.
Constantia in verbis & vultu.
Mors ei indicta.
Verba viri vltima. vtinam ipsa!
Vxorem affatur & firmat.
Sed commoti illa vult.
Venas sibi pariter incidunt.
Senex noster lentè & ægrè moritur.
Multa dictat, & loquitur.
Paullina eius viuere cogitur.

defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam ſociatæ cum marito mortis petiuiſſe; deinde oblatâ mitiore ſpe, blandimentis vitæ euictam. cui addidit paucos poſtea annos, laudabili in maritum memoriâ, & ore ac membris in eum pallorem albentibus, vt oſtentui eſſet, multum vitalis ſpiritus egeſtum. Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statium Annæum diu ſibi amicitiæ fide & arte medicinæ probatum, orat prouiſum pridem venenum, quo damnati publico Athenienſium iudicio exſtinguerentur, promeret: allatumq. hauſit fruſtrà, frigidis iam artibus & clauſo corpore aduerſum vim veneni. Poſtremò ſtagnum calidæ aquæ introiit, reſpergens proximos ſeruorum, additâ voce, *Libare ſe liquorem illum* IOVI *liberatori.* Exin balneo illatus, & vapore eius exanimatus, ſine vllo funeris ſollenni crematur. Ita codicillis præſcripſerat, cùm etiam tum prædiues & præpotens, ſupremis ſuis cõſuleret. Fama fuit, Subrium Flauium cum centurionibus occulto conſilio, neque tamen ignorante Senecâ, deſtinauiſſe, vt poſt occiſum ope Piſonis Neronem, Piſonem quoque interficeretur, traderetúrque imperium Senecæ, quaſi inſonti, claritudine virtutum ad ſummum faſtigium dilecto. Quin & verba Flauij vulgabantur, *Non referre dedecori, ſi citharœdus dimoueretur, & Tragœdus ſuccederet.* quia vt Nero citharâ, ita Piſo Tragico ornatu canebat. Ceterùm militaris quoque conſpiratio non vltrà fefellit, accenſis indicibus ad prodendum Fenium Rufum; quem eundem conſcium & inquiſitorem non tolerabant. Ergo inſtanti minitantique * renitens Sceuinus, neminem ait plura ſcire quàm ipſum. Hortaturque vltrò redderet tam bono Principi vicem. Non vox aduerſum ea Fenio, non ſilentium, ſed verba ſua præpediens, & pauoris manifeſtus. ceteriſque, ac maximè Ceruario Proculo equite, ad conuincendum eum conniſis, iuſſu Imperatoris à Caſſio milite, qui ob inſigne corporis robur adſtabat, corripitur, vinciturque. Mox eorum indicio Subrius Flauius tribunus peruertitur, primò diſſimilitudinem morum ad defenſionem trahens, neque ſe armatum cum inermibus effeminatis tantum facinus conſociaturum. Dein poſtquam vrgebatur, confeſſionis gloriam amplexus, interrogatuſque à Nerone, quibus cauſſis ad obliuionem ſacramenti proceſsiſſet: *Oderam te*, inquit, *nec quiſquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruiſti. odiſſe cœpi poſtquam parricida matris & vxoris, auriga, hiſtrio & incendiarius extitiſti.* Ipſa rettuli verba, quia non vt Senecæ, vulgata erant. Nec minus noſci decebat militaris viri * ſenſus & incomtos & validos. Nihil in illâ coniuratione grauius auribus Neronis accidiſſe conſtitit, qui vt faciendis ſceleribus promtus, ita audiendi quæ faceret, inſolens erat. Pœna Flauij Veiano Nigro tribuno mandatur. Is proximo in agro ſcrobem effodi iuſſit, quem Flauius vt humilem & anguſtum increpans, circumſtantibus militibus: *Ne hoc quidem*, inquit, *ex diſciplinâ.* admonitus fortiter protẽdere ceruicem: *Vtinam*, ait, *tu tam fortiter ferias.* Et ille multum tremens, cùm vix duobus ictibus caput amputauiſſet, fæuitiam apud Neronem iactauit, ſeſquiplagâ interfectum à ſe dicendo. Proximũ conſtantiæ exemplum, Sulpicius Aſper centurio præbuit. percontanti Neroni, cur in cædem ſuam conſpirauiſſet? breuiter reſpondens: *Non aliter tot flagitiis eius * ſubueniri poſſe.* Tum iuſſam pœnam ſubiit. Nec ceteri centuriones in perpetiendis ſuppliciis degenerauere. At non Fenio Rufo par animus, ſed lamentationes ſuas etiam in teſtamentum contulit. Opperiebatur Nero vt Veſtinus quoque conſul in crimen traheretur, violentum & infenſum ratus: ſed coniurati conſilia cum Veſtino non miſcuerant, quidam vetuſtis in eum ſimultatibus, plures quia præcipitem & inſociabilem credebant. Cetęrùm Neronis odium aduerſus Veſtinum ex intimâ ſo-

Ipſe cicutam ſumit.

Deniq. balnei vapore exanimatur.

Rumor de Imperio ad Senecam transferendo.

Sed non tam felix Roma.

Fenius Præfectus tãdem detectus.

* renidens

Et Flauius Tribunus.

Qui primò negat:

Mox cum inſectatione fatetur.

* *Rhenanus*, ſenſus incomtos ſed validos.

Militariter moritur.

Aſper pari fiducia.

* *Faber* obueniri

Fenius contrà, mulierbriter.

Nero Veſtinum culpari voluiſſet:

timâ ſodalitate cœperat, dum hic ignauiam Principis penitus cognitam deſpicit, ille ferociam * amici metuit, ſæpe aſperis facetiis illuſus; quæ vbi multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt. Acceſſerat recens cauſſa, quòd Veſtinus Statiliam Meſſallinam matrimonio ſibi iunxerat, haut neſcius inter adulteros eius & Cæſarem eſſe. Igitur non crimine, non accuſatore exiſtente, quia ſpeciem indicij induere non poterat, ad vim dominationis conuerſus, Gerelanum tribunum cum cohorte militum immittit: iubetque præuenire conatus conſulis, occupare velut arcem eius, opprimere dilectam iuuentutem, quia Veſtinus imminentes foro ædes, decoraque ſeruitia, & pari ætate habebat. Cuncta eo die munia cõſulis impleuerat. Conuiuium celebrat, nihil metuens, an diſſimulando metu, cùm ingreſſi milites vocari eum à tribuno dixere. Ille nihil demoratus exſurgit. & omnia ſimul properantur, clauditur cubiculo, præſto eſt medicus, abſcinduntur venæ, vigens adhuc balneo infertur, calidâ aquâ merſatur, nullâ editâ voce, quâ ſemet miſeraretur. Circumdati interim custodiâ qui ſimul diſcubuerant, nec niſi proiectâ nocte emiſſi ſunt, poſtquam pauorem eorum imminens exitium opperientium & imaginatus & irridens Nero, ſatis ſupplicij luiſſe ait pro epulis conſularibus. Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is profluente ſanguine, vbi frigeſcere pedes manuſque, & paulatim ab extremis cedere ſpiritum, feruido adhuc & compote mentis pectore intelligit; recordatus carmen à ſe compoſitum, quo vulneratum militem per eiuſmodi mortis imaginem obiiſſe tradiderat, verſus ipſos rettulit. eaque illi ſuprema vox fuit. Senecio poſthac & Quinctianus, & Sceuinus, non ex priore vitæ mollitiâ, mox reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictóve memorando. Sed compleri interim vrbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere grates deis, ornare lauru domum, genua ipſius aduolui, & dextram oſculis fatigare. Atque ille gaudium id credens, Antonij Natalis & Ceruarij Proculi feſtinata indicia impunitate remunerat: Milichus præmiis ditatus, Conſeruatoris ſibi nomen Græco eius rei vocabulo aſſumſit. E tribunis Granius Siluanus quamuis abſolutus, ſuâ manu cecidit: Statius Proximus veniam quam ab Imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit. Exuti dehinc tribunatu Pompeius, Cornelius Martialis, Flauius Nepos, Statius Domitius; quaſi Principem non quidem odiſſent, ſed tamen exiſtimarentur. Nouio Priſco per amicitiam Senecæ, & Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quàm conuictis, data exſilia. Priſcum Antonia Flacilla coniunx comitata eſt: Gallum Egnatia Maximilla, magnis primùm & integris opibus, pòſt ademptis. quæ vtraque gloriam eis auxere. Pellitur & Rufus Criſpinus occaſione coniurationis, ſed Neroni inuiſus, quòd Poppæam quondam matrimonio tenuerat. Verginium Rufum claritudo nominis expulit. Nam Verginius ſtudia iuuenum eloquentiâ, Muſonius præceptis ſapientiæ fouebat. Cluuidieno Quieto, Iulio Agrippæ, Blitio Catulino, Petronio Priſco, Iulio Altino, velut in agmen & numerum, Ægæi maris inſulæ permittuntur. At Cadicia vxor Sceuini, & * Ceſenius Maximus Italiâ prohibentur, reos fuiſſe ſe, tantùm pœnâ experti. Atilla mater Annæi Lucani, ſine abſolutione in ſupplicio diſſimulata. Quibus perpetratis Nero, & concione militum habitâ, bina nummûm millia viritim manipularibus diuiſit; addiditque ſine pretio frumentum, quo antè ex modo annonæ vtebantur. Tum quaſi geſta bello expoſiturus vocat ſenatum, & triumphale decus Petronio Turpiliano conſulari: Cocceio Neruæ prætori deſignato, Tigellino præfecto prætorij tribuit; Tigellinum & Neruam ita extollens, vt

In quem ei vetus odium.

* animi

Quia inſons, pro imperio iubet mori.

Ille ſtatim & intrepidè exſequitur.

Lucanus occiſus.

Et ceteri.

Romani interea ſacrificant, gaudẽt.

Nero præmia indicibus diſtribuit:

Pœnas & exſilia ſuſpectis.

* Cæſonius

Milites alloquitur:

Et largitione auget.

Amicos item honoribus.

ſuper triumphales in foro imagines, apud palatium effigies eorum quoque ſiſteret. Dedit etiam conſularia inſignia Nymphidio, de quo quia nunc primùm oblatus eſt, pauca repetam. Nam & ipſe pars Romanarum cladium erit. Igitur matre libertinâ ortus, quæ corpus decorum inter ſeruos libertoſque Principum vulgauerat, ex C. Cæſare ſe genitum ferebat, quoniam forte quâdam habitu procerus & toruo vultu erat: ſiue C. Cæſar ſcortorum quoque cupiens, etiam matri eius illuſit. Sed Nero vocato ſenatu, oratione inter patres habitâ, edictum apud populum, & collata in libros indicia, confeſſionesque damnatorum adiunxit. Etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros inſontes ob inuidiam aut metum exſtinxiſſet. Ceterùm cœptam, adultamque & reuictam coniurationem neque tunc dubitauere, quibus verum noſcendi cura erat; & fatentur, qui poſt interitum Neronis in vrbem regreſſi ſunt. At in ſenatu cunctis vt cuique plurimum mœroris, in adulationem demiſſis, Iunium Gallionem Senecæ fratris morte pauidum, & pro ſuâ incolumitate ſupplicem increpi[t] * Salienus Clemens, hoſtem & parricidam vocans: donec conſenſu patrum [ter]territus eſt, ne publicis malis abuti ad occaſionem priuati odij videretur, neu compoſitam & oblitteratam manſuetudinem Principis nouam ad ſæuitiam traheret. Tum decreta dona & grates deis [* decernuntur] propriuſq. honos Soli, cui eſt vetus ædes apud Circum, in quo facinus parabatur, qui occulta coniurationis, numine retexiſſet: vtque Circenſium cerealium ludicrũ pluribus equorum curſibus celebraretur: menſiſque Aprilis Neronis cognomentum acciperet: templum Saluti exſtrueretur, eo loci ex quo Sceuinus ferrum promſerat. Ipſe eum pugionem apud Capitolium ſacrauit, inſcripſitque IOVI VINDICI. In præſens haut animaduerſum, poſt arma Iulij Vindicis ad auſpicium & præſagium futuræ vltionis trahebatur. Reperio in commentariis ſenatus, Cerialem Anicium conſulem deſignatum, pro ſententiâ dixiſſe, vt templum diuo Neroni quàm maturrimè publicâ pecuniâ poneretur. Quod quidem ille decernebat, tamquam mortale faſtigium egreſſo, & veneration[em] hominum merito: quod ad omina olim ſui exitus verteretur. Nam deûm honor Principi non antè habetur, quàm agere inter homines deſierit.

De Nymphidio, ex occaſione.

Edictum & confeſſiones reorum propoſita.

In Senatu adulantium certamen.

* Alienus

* Redundat, vt opinor.

Pugio Sceuini ſacratus.

Verba ominoſa.

C. COR-